

rii, quatenus videlicet jure magistratus, & non jure speciali competit, vicissim exaudienda sunt, cum quodam moderamine ex illa consideratione, quoniam mandatum contractus est, juris gentium per § 2. *Instit. de jur. nat. gent. & civil.* atque ad eò juris privatorum. Jus autem privatum cum jure publico, si accuratius inspexeris, nihil habet commune.

THEORICORVM PRÆCEPTORVM

propositio decima nona.

Secunda jurisdictio iterum duplex est: voluntaria una, altera contentiosa est, l. 2. ff. de offic. procons. utraque exre appellatur. Illa, quod exerceatur in volentes extra judicium l. 2. l. 3. ff. de offic. procons. hæc exercetur in invitos & civiliter contententes vi imperii, cui locus est in judiciis, Donell. lib. 17. com. 8.

Alia divisio jurisdictionis.

Tertiò à causa efficiente jurisdictio alia est propria, quæ etiam ordinaria dicitur, alia non propria sive aliena. Illam dicimus, quam quis habet jure suo, hanc, quam quis habet ab alio quàm à lege vel Principe, l. 3. & 4. ff. de offic. ejus, cui mand. est jurisdict. Bodin. in meht jur. & lib. 1. de Republ. cap. ult.

Propria jurisdictio duplex est, lege soluta, vel legitima, Bodin. dictis locis, quarum illa jam magistratui competit, & est Principis propria, l. 31 ff. de legib. hæc verò competit jure magistratus quem gerit, à quo jure, qui id habet, magistratus dicitur l. 57 ubi Godotr ff. de verbor signific.

Jurisdictio denique non propria sive aliena etiam duplex est, mandata sive delegata, quam quis nomine non suo, sed alieno habet, l. 6. ff. de jurisdict. l. 1. §. qui mandatum. ff. de offic. ejus, cui mand. est jurisdict. vel prorogata, quæ est jurisdictionis, quàm magistratus habet ad rem, vel causam etiam aliam, quam quæ jurisdictionis illius sit, l. 18. l. 28. ad municip. l. 1. l. 2. l. 74. ff. de jud.